

Ecclesia receptam, ex pravo aliquo affectu, turbare oppugnare aut suspectam reddere, & sic fieri dissidiorum & offendiculorum autores, contra doctrinam, quam fideles didicerunt *Rom. 16. 17.*

II. Sed cum Ecclesia Christi in terris, contra Diabolum & regnum ejus, pro Christo & causa ipsius, militare debeat; neque solum ab apertis & professis hostibus, sed etiam occultis proditoribus oppugnetur, habeatque in externa sua societate plurimos & Doctores & auditores animales carnales & mundanos, spiritu regenerationis illuminationis & sanctificationis destitutos, etsi cum, simulent, qui falsi fratres à Spiritu Sancto dicuntur; cumque illi, qui Spiritum Christi verè habent & per eum Christo & mystico ipsius corpori verè inferti sunt, magnas corruptæ naturæ reliquias circumferant, & maximi etiam Doctores ex parte tantum cognoscant & ex parte prophetent, perfecta autè cognitio & sanctitas Ecclesiæ in cœlis triumphanti reservetur: fieri non potest, quin sæpe non tantum externis, sed etiam internis dissidiis Ecclesiæ militantis pax turbetur. Hinc Apostolus Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros ad vigilantiam in officio excitans hanc rationem adducit: Ego enim illud scio, post discessum meum lupos graves, non parcen- res gregi, ingressuros esse in vos, & ex vobis ipsis exorituros, qui loquantur perversa, ut discipulos post se abstrahant *Act. 20. 29. 30.*

III. Fit hoc sæpe notabili Dei judicio, quando professores veræ doctrinæ eam pia vita non sanctificant, nec in pura conscientia custodiunt; sed, contra lucem verbi divini & conscientiam suam, corde suo mundo & cupiditatibus suis, Deo hypocriticè & externe tantum serviunt, & gratiam Domini nostri Jesu Christi transferunt ad lasciviam, & sanam doctrinam fastidientes, doctores quærun- t secundum cupiditates illas suas. Tunc enim Deus in pœ- nam contemptæ & profanatæ veritatis, dat eis doctores secundum cupiditates suas, doctrinam veritatis, in rebus fidei & morum, vel aperte vel tacite, oppugnari & corrumpi sinit, doctores & popu- lum excæcat & infatuat, immittitque efficaciam erroris, ut credant mendaciis, & cadant tandem in foveam æterni exitii *Jes. 6. 9. 10. & 29. 13. 14. 2. Thess. 2. 10. 11. 12. Jude v. 4.* Semper autem fit no- tabili Dei providentiâ, in exercitium & probationem suorum electo- rum *1. Cor. 11. 19.*